



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae, 1611**

De exemplis contemptorum mundi. Cap. 7.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45624**

## De exemplis contemptorum mundi.

## CAP. VII.

**D**electasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum meditabor: in illis inquam operibus nouæ creaturæ tuæ, quam creasti in operibus bonis, vt sequens te minimum præceptorum suum, perseveranter ambularet in illis. Multa fecisti Domine mirabilia nimis, in quibus lucet altissima Sapiencia tua: sed illa videntur dulciora, & amabiliora, quæ operatus es in cordibus sexaginta fortium Israel, qui fuerunt ex fortissimis seruis tuis contemptoribus mundi, quos mors, & infernus timuerunt. Ex hoc numero fuit Alexius fidelissimus amicus tuus, qui despiciens Romanam nobilitatem cum diuitijs, & voluptatibus nouæ mundi arte deludens, transiit per viam vitæ tacitus, & incognitus hominibus, sed benè cognitus tibi, qui probas renes, & corda: & sic inuentus est mirabiliter scriptus in libro vitæ tuæ. Ad hunc etiam numerum pertinet Paulinus charissimus amicus tuus, qui vendidit se, vt redimeret proximum suum; sicut tu, Domine misericor-



ricordissime, tradidisti te, vt saluum face-  
res populum acquisitionis tuæ. Propterea  
Paulinus, quamuis occultauit se, vt calca-  
ret gloriam mundi, reuelatus est à te, qui  
superbos humilias, & pauperculos à terra  
fiscitas. Huius numeri fuit Martinus Tu-  
ronensis, qui totis visceribus dilexit te, &  
contra leges mundi, scidit chlamidem su-  
am, vt tegeret te, qui in persona pauperū  
mendicare soles, quamuis sis diues super  
omnes reges vniuersæ terræ. Et ideo sic  
placuit tibi contemptus mundi in Marti-  
no seruo tuo, vt diceres: Martinus hac me  
veste contexit. In numero isto, Domine,  
possem numerare multa millia seruorum  
tuorum; qui exemplo tuo reliquerūt om-  
nia, & in spiritu humilitatis famulati sunt  
tibi, nihil curantes quid mundus sentiret!  
Propter quod senserunt illi virtutem &  
misericordiam tuam magnam, quam ego  
quoque sentire vellem. Fiat ergo, man-  
suetissime Domine, misericordia tua su-  
per me seruum tuum, vt fiam de numero  
illorum, qui mundum vicerunt, & abscō-  
derunt thesauros suos in cælo, festinan-  
tes ad amplissimam mercedem suam. Et  
sacrificabo tibi primogenitum amorem  
in ara cordis mei, quod inflammetur, o-  
ro, igne purissimi Spiritus tui.

*De*